



Adnexus decreto diei 7 mensis Octobris 2019, Prot. N. 404/19

ADDITIONES IN LIBRIS LITURGICIS RITUS ROMANI DE MEMORIA AD LIBITUM B. MARIÆ VIRGINIS DE LORETO

IN CALENDARIUM ROMANUM GENERALEM

DECEMBER

10 B. Mariæ Virginis de Loreto

IN MISSALE ROMANUM

Die 10 decembris

Beatæ Mariæ Virginis de Loreto

De Communi beatæ Mariæ Virginis

Collecta

Deus, qui promissa Pátribus adimplens
beátam Vírginem Maríam elegísti,
ut matrem fieret Salvatóris,
concéde nobis illíus exéempla sectári,
cuius humílitas tibi plácuít,
et obædiéntia nobis prófuit.
Per Dóminum.

IN ORDINEM LECTIONUM MISSÆ

Dei 10 decembris

689 bis Beatæ Mariæ Virginis de Loreto
De Communi beatæ Mariæ Virginis.

LECTIO I	Is 7,10-14; 8,10, n. 707, 7.
PS. RESP.	Lc 1, 46-47. 48-49. 50-51. 52-53. 54-55, n. 709, 5.
ALLELUIA	Cf. Lc 1, 28, n. 711, 1.

EVANG.	Lc 1, 26-38, n. 712, 4.
--------	-------------------------

IN LITURGIAM HORARUM

Die 10 decembris

BEATÆ MARIÆ VIRGINIS DE LORETO

Alma Domus – quam chronica anno 1465 exarata dicit inventam nocte inter 9 et 10 decembris 1294, in ipso colle ubi adhuc est – origo est devotionis marianæ quæ in sanctuario Lauretano ostenditur, memoria mysterii incarnationis atque exemplorum evangelicorum Sanctæ Familiæ Nazarethanæ. Multi Summi Pontifices apostolicam curam sanctuario Virginis Lauretanæ tribuerunt, quæ a Benedicto XV patrona aeronautarum proclamata est. Litanie vero Lauretanæ per universam Ecclesiam diffunduntur.

De Communi b. Mariæ Virginis: Liturgia Horarum I, præter sequentia.

Ad Officium lectionis

LECTIO ALTERA

Ex Epístola sancti Ioánnis Pauli II papæ pro VII sæculári anniversário Almæ Domus Lauretânæ

(Lettera a Mons. P. Macchi, 15 agosto 1993: *Insegnamenti di Giovanni Paolo II*, XVI/2, 526-537)

Maria spatium corporale spiritualeque Incarnationis

Lauretána Alma Domus, non “reliquia” tantum est, sed pótius pretiósa ac vera “icóna”. “Icóna” non veritátum a sénsibus sepositárum, sed uníus evéntus et mystérii, id est *Incarnatiónis Verbi*.

Incarnátio quidem, quæ intra has sacras parietes memorátur, statim próprium germanúmque sensum bíblicum recúperat; non enim de mera doctrína ágitur, quæ ad uniónem inter divínium et humánium áttinet, sed pótius de evéntu, qui in exácto témporis moménto ac definíto loco áccidit, sicut verba Apóstoli mirabíliter maniféstant: *Ubi venit plenitúdo témporis, misit Deus Fílium suum, factum ex muliere*.

María est Múlier; illa est, ut ita dicámus, spátium eódem témpore corpóreum et spirituále in quo Incarnátio facta est. sed Domus étiam, in qua vixit, huius rei evocátio est manifésta.

Memória vitæ absconditæ Nazarethánæ res certas évocat et vitæ próprias ómnium hóminum mulierúmque. Ea nempe sensum sanctitátis famíliæ rénovat, repénite osténdens univérsam summam virtútum, quæ hódie tam minitátæ sunt, id est fidélitas, vitæ obséquium, educátio filiórum, cura oratiónis, et quas christiánæ famíliæ dénuo invenire possunt intra parietes Domus illius sanctæ, primæ atque exímie históriæ ecclésiæ domésticæ.

Domus illa alma commémorat, eódem témpore, magnitúdinem vocatiónis ad vitam consecrátam ac virginitátem pro Dei Regno, quæ præclárum hábuit initium in persóna Mariæ, Vírginis et Matris.

Iuvénibus deínde, qui innumerábiles petunt peregrinántes ad Domum Matris, iteráre cúpimus ea verba quæ olim eis díximus: «Ite ad Mariám, ite cum María ... in corde vestro eius “fiat” résonet». Utinam iúvenes, iuxta præcépta Domus Nazarethánæ, renováre váleant suam diligéntiam in cathólico laicórum órđine ad Christum in córdibus, famíliis, sciéntia atque societáte restituéndum.

Iustus ímpetus nostri témporis ad agnoscéndum pro muliere illum statum qui ad eam pértinet in Ecclésia et societáte, hic vero aptíssimam opportunitátem pervestigatiónis invenit. Quia *misit Deus Fílium suum, factum ex muliere*, omnes mulieres, in María, ad talem dignitátem ita elevátæ sunt ut áliam illa maiórem cogitári néqueat.

Nulla theórica considerátio, prætérea, dignitátem humáni labóris exaltáre póterit magis quam scire quod Ipse Fílius Dei Názaeth laborávit et vocári permísit *fabri fílius*.

Quómodo, dénique, non mentiónem fácere possímus “electiόnis páuperum”, quam Ecclésia in Concílio fecit et magis magisque clare póstea confirmávit? Austéræ et modéstæ sanctæ Domus paríetes nos ádmonent Deum Ipsum hanc electiόnem inaugurávisse in María, quæ, sicut légitur in textum conciliarem, «præcéllit inter húmiles ac páuperes Dómini, qui salútem cum fidúcia ab Eo sperant et accípiunt».

Omni témpore étenim, ad paupertátem et passiόnem quod áttinet, locum præcípuum in história Sanctuárii ægróti habuérunť, qui, primi ex ómnibus, peregrinántes ad Almam Domum accurrérunt et eius famam in géntibus diffudérunt. Ubinam céterum illi mélius excipiántur, nisi in Domo Illíus quam in Litaníis Lauretánis invocámus sicut “salútem infirmórum” et “consolátricem afflictórum”?

«Hoc Sanctuárium Lauretánum – sicut dixit Ioánnes XXIII – semper pátula fenéstia in univérsum orbem terrárum esse váleat, voces illas arcánas révocans, quæ animárum, familiárum populórumque sanctificatiόnem annúntiant».

Responsorium

R/. Vere benedícta tu in muliéribus quia Deus in te pósuit tabernáculum suum. * Consecrábis Dómino multítúđines populórum.

V/. Quem cæli cápere non póterant, tuo grémio contulísti. * Consecrábis.

Oratio

Deus, qui promíssa Pátribus adímplens beátam Vírginem Mariám elegísti, ut matrem fieret Salvatóris, concéde nobis illíus exémpła sectári, cuius humílitás tibi plácuit, et obediéntia nobis prófuit. Per Dóminum.

IN MARTYROLOGIUM ROMANUM

Addi debet ad diem 10 decembris primo loco elogium quod sequitur:

Beátæ Maríæ Vírginis de *Loreto*, in Itália, cuius venerátio ducit ad mystérium Incarnatiónis Verbi Dei pro salúte nostra contemplándum, nos docens ad vocatióem christiánam æquo ánimo assentíri.
